

um petræfacta, partim ex specu Baumanniana; partim ex aliis locis, nec non partes sceleti elephantini Tonnæ reperi: item innumera terræ sigillatæ & medicamentosæ species.

DEMONSTRATIO XLVI.

Color gemmarum à metallico sulphure dependet.

*Experimenta.*

1. Perlustrari merentur variæ species gemmarum, Jaspidium, qui vel virides punctis rubris præditi: item rubei venis lacteis immixti, Jaspides virides & albi coloris: Jaspides Freibergenses in quibus varii chalcedonii, carneoli, item amethystes simul conspiciuntur; carneoli, malachites varii coloris, politi & crudi: item virides, nec non cœrulei, imo amethystini coloris, lucentes in tenebris, pseudoadamantes, aquæ marinæ granati in suis mineris ex Misnia, Silesia, Bohemia, Quarzæ amethystina, topasia, hyacinthina, chalcedonii, opalii in suis mineris, oculi cati achates varias figuras exprimentes item carneoli variarum figurarum.

2. Fundamentum præparandi gemmas artificiales exponatur & quidem rubinum ex auro ac stanno, saphirum ex cobalto, smaragdum ex cupro & ferro, hyacinthum ex plumbo, opalum ex cornu cervi usto, antimonio diaphoretico; amethystum ex auro, granatum ex croco martis & minio. Mentio hic etiam fiat de nova methodo illustris Tschirnhausii vitra in incredibili magnitudine parari, & ex illis statuas, campanas & similia.

DEMONSTRATIO XLVII.

Succus maris salino-terreus, calciformis, testacea producit in animalibus marinis domicilia seu cochleas curiosissimas, tam ratione colorum, quam ratione structuræ & figuræ.

*Obser-*